


passionem & mortem Jesu Christi, unici filii tui, Domini & salvatoris nostri, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit, & regnat verus & æqualis D E U S, benedictus in secula, Amen.



Orat. Funeb. XI.

In memoriam & honorem Principis
W O L F G A N G I, Palatini p. m. carmine scripta à M. Pantaleone
Candido Anno 1570.

P R Æ F A T I O.

Ad illustrissimos Principes: Johannem Juniorem, Fridericum Casimirum, & Johannem Casimirum, fratres germanos, Palatinos, dum eandem orationem recitaret
Pantaleon in visitatione inclitæ
Scholæ Hornbachianæ,
anno 1600.

S. P.

EST decus illustres majorum dicere laudes,
Altaq; magnorum facta referre Patrum,
Ergo Palatini clarissima sidera, fratres,
A Duce VVolfgango, qui geniti estis avo:
Quando Scholæ vobis nunc hos invisere catus
Cura sit, egregii more, locoq; patris: